Quod foelix et faustum sit Reipub. nostrae literariae, Cras a prandio hora duodecima scholasticum examen seu censuram public. inchoabimus. Cum autem manifestum hoc sit, omnia exercitia et utilia et necessaria esse, Hoc enim pacto facile experimur, quam diligentem operam unusquisque in dis[cendo] navarit, diligentes vehementius invitantur, Ignavi et segnes instigantur et impelluntur. Hoc praeterea modo auditores et praesentem scholae statum, et quid sit de libris suis expectatio cognoscunt. Non dubitamus omnes bonos hoc factum probaturos, et sua praesentia publicum examen ornaturos esse. Quod ut faciant omnes hortamur atque oramus. Durabit examen dies 14. Datae Wimariae 14. die Octob: Anno 1548.

Ludi literarij
praeceptores. Wimariensis 1548

De Concilio Tridentino ad Ro: Ponti: Elegia Magistri Joannis Stolsij 1545.

Accipe pro bulla foedissime Papa poëma
Successum Synodi quo tibi pingo parum.

Concilium cito tam sancto non pectore falso
Poscere te rapit spes bona Christiadas
Mens pia, non mala mens longo iam cognita fecit
Tempore spem tantam non sine laetitia.
Caesareos ita vis fieri non lidere caro
Turbine commentum aut struere insidias
Et bonis haud malum est, pacis non praelia quaerit
Gaudia non luctum vel mala Teutoniae
Solipotens tibi dat summo de vertice Christus
Dogmata nec Satanae sunt tua Tartarei
Conspicimus bene quod longo iam tempore texit
Candida nec perijt te duce Religio